

05 H 424





13

EXERCITATIO FEVDALIS

VII.

DE

RENOVATIONE  
INVESTITVRAE

ET

VINCULO OBLIGATIONIS  
QVO DOMINVS ET VASALLVS  
INVICEM CONSTRINGVNTVR

QVAM

PRAESIDE

GODFR. LVDOV. MENCKEN

D. P. P. COLLEGIORVM IVRIDICORVM

QVAE VITEBERGAE SVNT, VT ET IVDICII

PROVINCIAL. IN MARCHIONATV INFERIORIS

LVSATIAE ASSESSORE

PVBlice DEFENDET

AVTOR

ERDMANN HELDT

ZITTAV. LVSAT.

D. IVN. M DCC XIX.

VITEBERGAE

EX OFFICINA VIDVAE GERDESIAE.



12

INVESTITURAE  
RENOVATIONE



05 H 424

ERDMANN HELDT  
AUTOR  
VERLAG  
D. R. P. COLLEGIORUM  
GOLDEN  
IN  
TE





SECTIO I.  
DE  
RENOVATIONE  
INVESTITURAE.

---

§. I.

**R**enovatio inuestiturae est feudi legitime ante quaesiti, ob contingentem in Domini vel Vasalli persona mutationem solemniter facta confirmatio. Fieri autem debet siue morte, siue alienatione, siue felonia eueniat mutatio *l. f. 22, Capitulat. Leopold. Art. 4.* Quatuor *Quid sit Inuestiturae Renovatio.* introductae renouationis inuestiturae causas memorat *ROSENTHAL. c. 6. Concl. 29. n. 6. seqq.* quarum 1) ut intellegant Vasalli, se obtinuisse feudum pactionibus magis quam successione; 2) ne obliterentur iura Domini, nec Vasallus ignorontiam vel praescriptionem aliquam praetendere possit; 3) vt reiteretur fidelitas promissa, tanquam

A 2

EXERCITATIO VII.

4 DE RENOVATIONE INVESTITURAE.

quam personalis; 4) quia hoc est signum reuerentiae; j. STRVV. in *Syntag. I. F. c. 10.* ex quibus eas, quas 2. & 3. loco recenset, praecipuas esse, quilibet facile intelligit. Appellatur etiam inuestitura vetus 2. f. 32. & differt in eo a prima inuestitura, quod hic nouum feudum non acquiratur, sed vetus solummodo renouetur. Thom. CRAGIUS in *I. F. c. 12. §. 1.* Hoc de illa pro regula tenendum: Renouationem inuestiturae ad naturalia feudi pertinere 2. f. 24. pr. adeo, ut in omni feudo etiam improprio e. gr. haereditario, foeminino &c. fieri debeat STRVV. in *Sem. Cent. obs. feud. obs. 16.* nec incognitum, inuestiturae renouationem fidei esse renouatam promissionem, quae iurato repetenda venit, 2. f. 24. pr. & 40. pr. quia ea respectu tam promittentis, quam eius, cui promittitur, personalis est. STRVV. d. *L. c. 10. Aph. 1. n. 2.* Exinde tamen non concludendum, in feudo ubi iurata fidelitatis promissio non requiritur, aut in eo, in quo talis pacto remissa, etiam inuestiturae renouationem cessare, sed cessat solummodo iurata, non uero omnis renouationis inuestiturae petitio ROSENTHAL. c. 6. *Concl. 35. n. 6.* cum ea, quae a feudi naturalibus vi pacti remittantur, stricte veniant explicanda.

§. II.

a quo petatur.

Petitio inuestiturae renouationis ab omni fieri debet in feudum successuro, cuiuscunque sit conditionis, etiam si sit dignior, siue superior alias Domino 2. f. 100. LVDW. de *Renouat. inuest. p. 323.* vel quaecunque possideat feudum, haec enim ut naturale feudi omni inest, 2. f. 24. adeo ut nec feudum rusticum stricto iure feudali eximatur LVDW. in *Tr. feud. p. 36.* licet renouatio in feudo rustico non adeo rigoroze exigi videatur ROSENTHAL.

THAL. c. 7. *Concl.* 32. n. 3. quod praesertim J. SAX. pro certo habent Doctores, v. CARPZOV. P. II. C. 45. D. 21. ubi ratio horum feudorum emendam saltem exigi, si renouatio non fuerit petita, refert. Alias liberationem nullam praebet, a renouatione inuestiturae quaerenda, primi acquirentis inuestitura pro se & suis haeredibus facta. Fides enim iurantis ad haeredes non transit. LVDW. d. l. p. 328. & Dd. ad capitulum 14. X. d. Iurei.

## §. III.

Est autem inuestiturae renouatio sollicitanda, si plures existant haeredes, ab omnibus *a pluribus* 2. f. 26. §. 6. *omnes si-haeredi-* *bus simul.* lii quanquam illud negare videatur CARPZ. Dec. 17. n. 7. eo in casu, quo Vasallus pro se & suis haeredibus inuestituram petierit, ac si haeredes eius renouationem petere necesse non haberent, quod tamen uti sine lege asserit, ita obseruantiae quoque omnino repugnat. Vt vero singuli personatenus quaerant obtineantque inuestituram simplicis necessitatis non est cum liberum relinquatur illis constituere, einen Lehns-  
Träger / qui nomine omnium inuestituram accipiat, a. 2. f. 3. §. 1. BESOLD. in *Tbesaur. Pr. sub hac voce*, modo ab omnibus speciale mandatum eo directum obtinuerit, Hartm. PISTOR. P. II. qu. 47. n. 2. sicque in hoc passu, inuestiturae petitio cum eius renouatione, meretur iudicari ad paria, quamuis Domini causa praegnantia nisi arbitrium hac in parte non excludatur, cui Vasallo ut praesentem se sistat imperare integrum remanet. STRVV. c. 8. *Aph.* 17. n. 5. Ipsa experientia nonnunquam prodit, non commodius quam per Procuratorem hunc actum peragi v. gr. si Vniuersitas vel Collegium inuestituram petat, ubi per Deputatos aut mandato instructos  
A 3  
faciliori

faciliori negotio illa obtinetur. Apud Saxones communiter Procurator non admittitur, quia regulariter iuramenta per Procuratorem eo iure non praestantur, nisi quod quandoque permittatur has vices demandare, einen Lehn-Träger / vid. D. MENCK. *Tabul. ad Pand. Tit. d. Jurej.* p. 175.

## §. IV.

*a simulta-  
neo inue-  
stiro siue  
Dominus  
siue Vasal-  
lus sit mu-  
ratus.  
Neganti-  
um opini-  
ones,*

Non minima Doctorum nunc obuiat controuersia, an simultanee inuestiti etiam ad inuestiturae renouationem sint obligati? quod multi negant, non pauciores affirmant. Negantium opiniones eo nituntur fundamento; quod Vasallus non possidens feudum, non tenetur petere eius renouationem, neque propter omissum hoc officium, quod ipsi non incumbit, feudo priuari possit. ALVAROTT *c. 1. in f. n. 2. v. quaero quid si.* Cum omnis non possidens non dicatur esse in dolo Hartm. PISTOR *Lib. II. g. 20. n. 31.* & Jure Longobardico non requiratur renouatio ad vigorem seruandae simultaneae inuestiturae. *a. 1. f. 8. §. ult.* Semel enim impetrata inuestitura, successio Jure sanguinis ex constitutione dicti iuris patet. WESENBECK. *P. 1. conf. 15. n. 35. Modest. PISTOR. Consil. 38. n. 22.* Itaque non magis hic, quam in expectuario necessariam esse renouationis petitionem consequitur, nisi spem succedendi habeat, *2. f. 26. §. 2.* adeoque neutri incumbere videtur petendae inuestiturae renouationis onus, nisi exinde commoda & emolumenta percipiat, i. e. feudi possessor factus sit. Cum qui in feudo non actu succedunt, nec renouari inuestituram petere habeant necesse, siue sint Liberi, siue agnati, ex primo acquirente descendentes. HORN *J. F. c. 17. §. 4.*

## §. V.



## §. V.

His autem non obstantibus, affirmant alii simulta-  
 nee inuestitos omnino teneri ad inuestiturae renouatio-  
 nem petendam, siue Dominus, siue Vasallus mutatus  
 sit, hocque praetermissio penitus priuari beneficio suo,  
 idque ut confirmet, ad quam plurimorum locorum  
 obseruantias prouocant. *Hieron. SCHURF. Cent. 5. Conf.*  
*26. Quod imprimis de J. Sax. BERLICH. P. II. Concl. 53.*  
*n. 3. KLOCK. L. I. c. 10. n. 67. & 68. imo & de reliqua*  
*Germaniae parte testatur, Illustr. Henricus COCCEIUS*  
*in Hypomnemat. Jur. Feud. p. 48. quid? quod eam genera-*  
*lem dicat obseruantiam SCHILT. in J. F. p. 525. re-*  
*sponsoque a F. J. Tubingensi, dato annexo suam senten-*  
*tiam suffulciri contendat, add. Jo. ZANGERVUS in Tr. de*  
*Exceptionibus P. III. c. 26. §. 328. Verum attenda Longo-*  
*bardici & Saxonici Juris diuersitate, dissensus hicce facile*  
*tolletur, cum, quae hoc Jure inculcatur necessitas, in il-*  
*lo non notata sed praetermissa deficit.*

*Affirman-*  
*tium opi-*  
*niones.*

## §. VI.

Non adstringuntur tamen ad inuestiturae renoua-  
 tionem successores singulares, puta Emtores, Donata-  
 rii aut Legatarii, qui Domini consensu, aut alia ratione  
 licita titulo singulari feuda acquirunt. Aliter sentit  
 ROSENTHALIVS c. 6. Concl. 32. n. 6. qui omnem  
 successorem singularem ad renouationem inuesti-  
 turæ, intra annum & diem petendam obligari sta-  
 tuit: Rursus ab hoc quodammodo dissentit, omnem  
 successorem singularem, ab hac liberandum esse  
 obligatione, maxime, si accedat Domini consensus  
 arbitratu AFFLICT. in §. Si quis de probib. feud. alien.  
 per Frid. addendo, quod possit solummodo compelli ad  
 prae-

*a quo non*  
*petatur*  
*non a sin-*  
*gulari*  
*successore.*

praestandam fidelitatem; imo *in c. 1. n. 21.* Vasalli decrepitae aetatis expresse meminit, assertumque extendit ad casum, quo emtor existit ex comprehensis in inuestitura, quia nouatione personae nouum efficiatur feudum, qua in sententia destruenda non parum laborauit *Card. ZARABELL. conf. 92. n. 1. & MENOCH. Consol. 104. n. 56.* Nostra haec est distincta opinio: Si in agnatum seu in prima inuestitura comprehensum fiat alienatio, inuestiturae requirenda est renouatio: *2. f. 14. 24.* Si autem in extraneum transferatur, non tam renouatio inuestiturae, quam noua fit inuestitio de feudo. Per acquisitionem agnati vero in prima inuestitura comprehensi, feudum non fit nouum, ergo eum intra annum & diem renouationem petere necesse est. *CVRT. Jun. P. IV. n. 149. WESENB. de feud. c. 8. ROSENTHAL. c. 6. Concl. 33.* Si vero voluntate Domini in extraneum, h. e. talem, qui in prima inuestitura non est comprehensus, sit refutatum, vel ab illo emtum feudum sit nouum, *SOCIN. Consil. 10. n. 17. ZOES. L. 1. Consil. 13. n. 11.* eius inuestitura non necessario intra annum & diem, sed ad Domini requisitionem, petenda, quae expectari potest. *LVDW. p. 327.* Feudo enim nouo, certum tempus petendae inuestiturae non est praescriptum. *SONSBEK. P. II. n. 5. 6. BRVNNEM. Conf. 42. n. 1.* Sed Dominus Vasallum per pares curiae, more solito, citare debet *BORCHOLT. c. 8. n. 29. ROSENTHAL. c. 6. Concl. 43. n. 1.* nisi aliud inualluisse in specie doceatur.

## §. VII.

*Quo casu  
petatur.*

Omni autem in casu petenda est inuestiturae renouatio, siue Dominus siue Vasallus sit mutatus. Ea, quae in casu Domini mutati contingit, consuetudine introducta

troducta. 2. f. 40. e. g. per mortem Domini directi l. f. 1) *si mutetur*  
 21. sique plures Domini mortui evadant successores, ab *tur Domi-*  
 omnibus coniunctim 2. f. 77. non a singulis petenda *nus.*  
 inuestiturae renouatio, omnibus enim coniunctim fide-  
 litas praestanda. 2. f. 55. §. f. 120. S. *Lehn-R. c. 29. art.*  
 58. Sed & unus nomine omnium eam recipere potest,  
 vel si inter se dissentiant eorum superior. *CARPZ. P. II.*  
*Const. 45. D. 29.* Quid autem statuendum, si unus ex  
 Dominis moriatur, qui pro indiuiso possideant feudum?  
 Distinguendum est, an liberos reliquerit, quo in casu  
 renouatione opus erit, an vero nullos reliquerit, & ea  
 non requiretur, quia pars defuncti ad reliquos Condo-  
 minos transit, quibus jam jam a Vasallo, intuitu illius  
 feudi, fidelitas iurata & promissa, *FRANZK. L. i. Resolut.*  
*19. n. 22.* opus tamen est aliqua petitione & declaratio-  
 ne Vasalli, qua ostendit se recognoscere partem Domi-  
 nii directi ad ceteros deuolutam; sicuti & Dominis,  
 Vasallum pro parte ista ad ipsos delata, pro tali agnosce-  
 re incumbit. *HORN in 7. F. c. 17. §. 10.* Porro tenetur  
 etiam Vasallus ad renouationem inuestiturae, si domi-  
 nium directum alienatione mutatum. Dum enim Do-  
 minus Jus suum, quod in feudo habet, licite vendit, aut  
 alio modo alienat, Vasallus nouo acquirenti fidelitatem  
 iurare, & ab eo feudum recognoscere debet. *ROSEN-*  
*THAL. c. 6. Concl. 64.* Pariter id procedit, si per diui-  
 sionem dominorum in communiione viuentium, Domi-  
 nus mutetur, & cuius Domino certa attribuantur feu-  
 da. Vasalli enim inuestiturae renouationem a suis as-  
 signatis Dominis expetere tenentur, *STRVV. c. 10. Aph. 2.*  
 n. 4. moribus tamen Galliae & Angliae, contingen-  
 B te

EXERCITATIO VII.

IO DE RENOVATIONE INVESTITURAE.

te Domini directi mutatione, inuestiturae renouatio minime recepta legitur, vid. *Tbom. CRAGIUS in J. F. L. II. c. 12. §. 2.*

§. VIII.

2.) si mu-  
tetur va-  
fallus,

Ex ipsa feudi natura profluit inuestiturae renouatio haecque desideratur, quando mutatur Vasallus 2. f. 40. siue morte fiat mutatio, de qua Lex est **CONRADI II.** si post mortem Vasalli haeredes eius per annum & diem steterint, quod Dominum vel haeredem eius non adierint, fidelitatem pollicendo, & inuestituram petendo, si tale sit beneficium, ut fidelitas sit praestanda, ipsum perdant: siue alienatione, scil. si descendentem ex primo acquirente agnato Vasallus feudum cedat, vel in eum alio modo transferat: **STRVV. c. 10. Aph. 3. n. 4.** siue feloniam, si illam commiserit Vasallus, feudumque ad proximos deuoluatur agnatos. **CURT. JUN. de Feud. P. II. c. 3. vers. secunda dubitatio n. 194.** Quod si unus ex Vasallis feudum pro indiuiso possidentibus moriatur, distinguendum: an liberos reliquerit, an non? Si eos reliquit, renouatione opus, si non, eam propter defectum Vasalli non esse necessariam, per se patet. **BERLICH. P. II. Concl. 53. n. 36.** Interdum quoque fieri solet, ut unus ex pluribus Vasallis, (quem *Lehn- & Träger* / vocant) vices omnium sustineat, & nomine communi inuestiatur, quo casu non nisi illo mortuo renouatio necessaria iudicanda est. **MYSING. C. 5. obs. 9. SCHULZ. c. 9. n. 42.**

§. IX.

Petenda  
intra an-  
num &  
diem.

Petenda inuestiturae renouatio, intra annum & diem a facta mutatione computandum, 2. f. 24. 40. 55. pr. in f. quibus tamen textibus obstat textus, 1. f. 22. ubi annus & mensis praescriptus, **STRVV. c. 10. Aph. 7. n. 2.** qui

qui Legum dissensus Doctores in diuersas a se inuicem partes traxit, aliis militi actu militiam exercenti annum & mensem attribuentibus, aliis ad reliquos pertinere annum & diem statuentibus; CARPZ. *Disp. feud.* 6. §. 40. quae tamen distinctio, magis speciem decisionis, quam veritatem subministrat. Jure enim communi feudali, miles quemuis denotat Vasallum, nec dies allegato textu expressa, ut alias, semper naturaliter, sed ciuilitate computanda, adeo, vt illa ad vnus diei limites neuitquam sit restringenda, cum non adeo rarum sit, in causis priuationem iuris inducentibus, per diem, nonnullorum dierum accessionem, exprimi, adeoque vi textus 1. f. 22. euitandae contradictionis ergo, diem de mense interpretari licebit. vid. *Dn. MENCKEN in Controuers. selectis J. F. Disp. 3. Tb. 5.* Quae res de Jure Sax. tum communi, tum electorali, non aliter se habet. *S. Land. N. c. 22. c. 25. c. 50. j. CONST. ELECT. SAX. 45. P. 1.* secundum quos textus, annus & dies explicatur, per annum sex septimanas, & tres dies; SCHILTER. *ad J. F. A. c. 15.* Alius terminus Statibus Imperii definitus *CONST. CAROLI V. Des Römischen Königl. Maj. Regierung facta Wormariae 1521. §. und behalten zuvor: ubi.* Dasß in einem Jahre einem jeden seine Regalien zu empfangen gebühren. Ubi obseruandum, quod, si intra hoc tempus moriatur Vasallus, annus denuo successori veniat concedendus, 1. f. 22. L. 19. C. d. *Jure deliberandi.* SCHILTERUS *J. F. A. c. 58.*

## §. X.

Non vero continuum hoc tempus renouationi praescriptum, sed utile est, & currit a tempore scientiae praedecefforem mortuum esse, quod communiter deducitur ex Textu 2. f. 9. §. 1. CRAGIUS *L. II. c. 12. §. 3.*

*Quod tempus currit a tempore scientiae.*

Ignoranti enim, modo probabilis fuerit ignorantia, succurrendum. CARPZ. P. III. C. 45. def. 20. An ignorantibus vero dubitantes quoque annumerandi veniant, plerique *Dd.* controuertunt, mihi negans placet sententia, nam licet generaliter dubitans, pro ignorante habeatur, tamen inquirere debuisset in rei veritatem, nec volens in errore & dubio remanere. CRAGIUS L. c.

## §. XI.

*An Dominus coarctare, vel prorogare potest, hunc terminum.*

Hocque anni & diei spatium Dominus directus neque coarctare SCHRAD. P. VI. c. 2. n. 2. 3. neque prorogare VVLTEJ. I. c. 7. n. 63. potest, 2. f. 2. 3. in f. cum suboriri queat exinde Vasallo praeiudicium, bene tamen, desiderante Vasallo prorogationem inuestiturae, haec frustra non deneganda, multo magis Dominus ad eam dandam tenetur, si iustam nec Domino nociuam alleget dilationis indulgentiae causam. Contrarium quidem ratione Domini de iure Sax. statuitur in c. 22. in f. & c. 50. des Sächs. LandR. ibi: bittet der Herre oder der Manne sein gut her / her soll es alzuhand entphan / oder her versümet sich daran. de receptione tamen & obseruantia huius textus hodie iure subdubitat SCHVLZ. in *Synops. feud.* c. 9. n. 67. Imperator terminum hunc prorogare potest, imprimis in feudis maioribus, quae Fahren; Lehnen appellantur. CARPZ. ad Leg. Reg. Germ. c. 10. S. 9. n. 6. Quod si denegetur inuestitura Vasallo, contra Dominum ad renouationem impetrandam competit conditio ex Lege aut moribus, CARPZ. P. II. C. 45. D. 23. vel rectius ex contractu feudali. STRVV. c. 10. aph. 2. Imo si Dominus directus renouationem inuestiturae non conferat aut detrectet, dolose & sine iusta causa, Dominio suo directo priuandus. HORN. I. F. c. 17. §. 20. Vasallus enim & Dominus

minus iudicantur ad paria, 2. f. 6. 33. illudque fatale Domino currit a tempore debito modo petitae renovationis. RHEZ. 1. f. 22. p. 451.

## §. XII.

Vasallus non renouans inuestituram, beneficio suo excidit; Iniuncta enim est renovationis petitio sub poena priuationis, 2. f. 24. pr. 37. 40. §. f. 55. & 78. ac refertur haec omissionis causa inter ingrattitudines Vasalli. *Poenae non petitae renovationis. citat. nis.*

*Text.* Id tamen certum est, non posse aliquem feudo priuari, nisi dolose omiserit renovationem. 2. f. 22. 52. §. ult. CARPZ. P. II. C. 35. def. 18. Non solummodo vero ipse Vasallus, sed & Liberi eius feudo priuantur, 2. f. 31. seqq. HARTM. PISTOR. L. II. qu. 10. n. 1. quam liberorum poenam negat quidem ALVAROTTUS, CVRT. IVN. & alii, ex rationibus tamen Iuri feudali minus convenientibus, HARTM. PISTOR. P. II. qu. 18. n. 1. nisi Dominus filiis aequae principaliter, seu ex singulari eorum contemplatione, feudum concesserit, quo casu feudi priuatio ad liberos non extendenda. ROSENTHAL. c. II. Concl. 2. n. 1. Idem dicendum, si Vasallus, antequam Dominus de feloniam conqueratur, vita excedat, ROSENTHAL. d. L. Concl. 40. n. 1. aut alia iusta causa adsit, quae liberis feudum adimi non patiat. Sed & adeo necessaria est inuestiturae renovatio, ut nec foemina hic excusetur, cum ea ad feudi naturalia, ut aliquoties monitum, referatur DD. in pr. 2. f. 3. quae aequae foeminam ac masculum stringunt, eademque obseruanda, si mortua foemina, succedat alia. SCHILT. ad Ins feud. Alem. c. 203. §. 2. Contingente vero priuatione notandum: quod

ea solummodo ad feudalia spectet bona, allodialia vero minime tangat, ceu interroganti respondit *Fac. Iur. Lipsf. ens. Mense Iunio 1703.*

## §. XIII.

*Opus tamen causae cognitione.*

*Minime vero praeeiudicat Agnatis.*

Procedit tamen feudi priuatio non ipso Jure; sed, antequam quis eo priuetur, opus est causae cognitione, 1. f. 22. quam sententia declaratoria sequitur, quem in modum resp. *Fac. Iur. Lipsf. Mense Maio 1633.* ibi: vielwenigen Falle zur priuierung der Lehn nach gemeinen Wahn der Rechtsgelehrten nothwendig erfordert wird / ergangen. quae sententia in Parium iudicio fertur, 1. f. 22. §. 2. CARPZ. P. III. C. 27. D. 12. Haec autem priuatio ad agnatos minime extendenda. Post mortem enim Vasalli & Liberatorum ad agnatos feudum reuertitur, 4. 2. f. 78. 83. 94. quibus suo delicto nullum praeeiudicium inferre potest Vasallus. CARPZ P. III. C. 27. D. 11. Licet nonnulli ea sint in opinione, quod etiam Vasallus praeeiudicium parere possit agnatis, praepremis SONSBECK. de feud. P. 13. n. 9. seq. & BERLICH. P. III. Concl. 37. n. 25. seq. inducti textibus 2. f. 24. §. f. 2. f. 37. § 55. ad sententiam suam stabilendam. Verum enim vero innuunt quidem textus allegati, quod Domino aperiatur feudum, sed de agnatis nihil cauent, & contrariam sententiam satis confirmant textus 2. f. 26. §. Si Vasallus. 2. f. 31.

## §. XIV.

*Exceptio a poena.*

Poenam non petitae renouationis vidimus, paucis nunc agamus de exceptionibus a poena priuationis releuantibus; eo referendi Textus 1. f. 22. verb. nisi iusta causa interuenerit, quare non petierit, § 2. f. 52. §. ult. verb. si iusta causa impediante steterit, & in genere norandum: omnem



omnem causam, quae a mora excusat, veniam etiam mereri in casu omissae renovationis. Triplici vero modo id potissimum euenire potest, vel ratione Domini, vel Vasalli, vel alius iusti impedimenti. Ex persona Domini contingit liberatio a poena priuationis ob omissam inuestiturae renovationem, si Dominus absens est, & quidem citra discrimen, num absentia iusta vel iniusta, TIRAQUELL. *de retrahit. Lignag. §. 9. Gloss. 3. n. 19.* HOTOM. *Consl. §. n. 13.* ita, ut interea possessionem feudi occupare Vasallus prohiberi nequeat, vbi tamen Procurator vel Curia feudalis a Domino sit constituta, excusationi locus non dandus, quandoquidem istic quae- rere renovationem incubuisset. *Laurent. SYLVAN, de Recognit. feudi qu. 72.* Eo & pertinet, si Dominus directus infans sit, & tutore destitutus: Tutorem vero habenti fideliras praestanda, & ab eo renouatio petenda, *a. 2. f. 3. I. Alemann. c. 48. & Sax. c. 17. §. 14.* quod & moribus hodiernis obseruatur. ROSENTHAL. *c. 6. Concl. 42. n. 1.* Si vero non habeat Tutorem, Vasallus excusatur. STRVV. *c. 10. Aph. 9. n. 4.* Quid si Dominus sit minorrennis? siue habeat siue non habeat Curatorem, ab eo peti inuestiturae renovationem *2. f. 3.* par est. Huc quoque refertur casus, si cum alio de feudi Dominio litiget, SONSBECK. *de Feud. P. II. n. 20.* modo adhuc possideat feudum, aut illud a Colligatore iniuste detineatur. Addunt Doctores communiter, si Dominus infamia magna maculatus, ut, si fuerit excommunicatus vel bannitus, *a. 2. f. 28. per vers. Sed obertus. SCHNEIDEVV. §. n. 47.* Tandem morte Domini interueniente, integer annus & dies Vasallo denuo concedendus. *1. f. 22. ROSENTHAL. c. 6. Concl. 45. n. 2.* Inimicitiam capitalem Dominum in-  
ter

Ratio-  
 ne Domi-  
 ni.

ter ac Vasallum intercedentem huius culpa non excitam, eodem refert ROSENTHAL. *cap. 6. concl. 53.* sed eodem indistincte suffragari nollem. Nullatenus quoque dubitandum: Dominum Vasallo culpam remittere posse, idque expresso vel tacito ipsius consensu, ut, transactione, 2. f. 31. acceptione seruitiorum, inuestiturae peractione, nec non denunciatione, vt seruiat Vasallus &c. SYLVAN. *de feud. Recognit. qu. 30.* ROSENTHAL. *c. 6. Concl. 61. n. 3. 4.* nisi Dominus feudum commissum fuisse ignorauerit, iustoue in errore extiterit, aut desuper protestatus fuerit, STRVV. *c. 10. Aph. 10. n. 1. 2.* quae remissio eatenus procedit, vt nec agnati, quippe quorum de praeiudicio non agitur, illam impedire possint, cum eis viuo delinquente & eius haeredibus non debeat successio, CARPZ. *P. III. C. 27. D. ult.* adeoque Dominus, ad quem deuoluebatur feudum, gratiam Vasallo faciendo suo modo iuri renunciat. Aliter res sese habere videri posset, si iamiam lata sit sententia declaratoria, tunc enim Ius quaesitum ipsis non auferendum esse contendit STRVV. *c. 5. Aph. 12. n. 9. § n. 11.* vbi & praeiudicio assertum confirmat. Verum cum in casu, quo sententia condemnatoria lata recidat feudum, vt ante dictum, ad Dominum, quamdiu superstes est Vasallus cum suis descendentibus, & a STRVVIO vtrupta Iuris fundamento hac in parte destituito recte recedit. B. HORN. *I. F. c. 17. §. 19. conf.* RECESS. PROVINC. *de anno 1700. §. 25.*

## §. XV.

2.) *ratio-* Inter exceptiones, quae ex persona Vasalli resultant, referri meretur, si hic sit absens, absentiaque reputetur pro necessaria, e. gr. Reipublicae causa, maxime si Procuratorem non reliquerit; ROSENTHAL. *c. 6. Concl.*

*Concl. 53.* relicto enim Procuratore & eo instructo non aliter, quam hoc excusso, restitutione in Integrum iu- uabitur, *a. l. 21. §. 2. l. 39. ff. ex quib. caus. maj.* prout vice plus quam simplici *Fac. Iur. Viteb. resp. M. Septembr. 1693. it. Mens. Iun. 1702. conf. Ill. BERGER. L. 2. Resp. 141.* item militiae ergo, *L. 15. §. 2. L. 34. 35. §. ult. ff. ex quibus caus. maiores.* modo reuera occupatus fuerit circa res milita- res, siue in numero fuerit militum, siue hisce annume- retur, e. g. Medicus, Chirurgus &c. adeo ut talis etiam restituatur, post & contra tres sententias conformes contra ipsum propositas. *MEV. Consil. 50. n. 89.* Prolau- dabili absentia in Jure habetur peregrinatio honesta, e. g. studiorum caussa, *L. 27. ff. d. t. STRYK. Disp. de Impedi- ment. Legit. c. 2. n. 38.* imo haec absentia non tantum pro- babilis, sed et iustissima vocatur in *L. 28. ff. d. t. Auth. C. ne filius pro patre. id quod attendit resp. Fac. Iur. Lips. Mens. Aug. 1710.* adeoque talis absens omnis feloniae expers iudicandus venit, cum, ex quacunque causa quis liberetur a mora, illa & ad excusationem proficiat, *1. f. 22.* vnde impedi- mentum, quod facile remoueri potest, veniam omissae renouationis non meretur. *TORNOVIUS de feudis Meck- lenburg. c. 2. Sect. 4. §. 43.* Eadem quoque adest ratio, si Vasallus sit Pupillus, *CARPZ. P. II. C. 35. D. 18. & 19.* in quo non tam inuestiturae renouatio differenda, quam fidelitatis praestatio, ob nondum impletos pubertatis an- nos. *2. f. 26. §. Si minori.* Nihilominus tamen si reno- uatio intermissa, restitutio in integrum inuenit locum. *STRVV. c. 10. Aph. 9. n. 2.* Nam contra impuberem & Jure feudali nulla currit praescriptio, *conf. Thom. GRA- GIVS in I. F. L. II. c. 12. §. 7. in f.* quid? quod restitutio

C

mino-

## EXERCITATIO VII.

minorum infimul profit maioribus, si indiuisim possideant feudum. *Id.* CRAGIUS c. L. §. 9. *ceu resp. Scabin. Lips. Mense Decembri 1703.* Nec eis deneganda restitutio in integrum, ex clausula generali: *Si qua mihi iusta videtur etiam contra negligentiam Procuratoris.* L. 7. §. 9. ff. de dolo malo. CHRISTIN. Vol. 2. Dec. 109. n. 10. seqq. CARPZ. L. III. Resp. 4. *quem etiam in modum responsum a F. I. Lips. Mense Augusto 1710.* Sed an nouo successori, si antecessor intra tempus moriatur, nouus terminus concedendus est? Ita censet ROSENTHAL. c. 6. *Concl. 45.* Cum enim nec huius factum regulariter, nec eidem statutum tempus vel noceat vel labatur succedenti, consequitur, omnia iuris beneficia salua ac integra isti esse asseruanda. Non minus legitimam tandem a poena priuationis excusationem praebet, ignorantia iusta. 2. f. 92. GAIL. L. II. *obs. 48. n. 8.* Non vero excusat crassus atque error affectatus, qua de re cum ille in animo lateat, quam saepissime iuramento ab illo se purgare obligatur Vasallus, CARPZ. P. II. C. 45. D. 20. imo & integrum est alteri parti, impedire huius, probatione contrarii, ad Iusiurandum accessum, *prout resp. F. I. Lips. Mense Decembri anno 1601.* woserne der Wissenschaft halber nicht ein anders fönnte ausgeführet werden / modo uti praesumo, & a probaturo plena probatio posthaec perficiatur, nam alias in concursu citius ad purgatorium Vasallo reditus dabitur, quam probans ad Suppletorium admittetur. Simpliciter autem deneganda est inuestiturae renouatio proscriptis atque excommunicatis. v. JVS ALEMANN. c. 41. Quemadmodum enim antiquis temporibus isti, in iudicio, nec per se, nec per alios, agere poterant; c. 8. de Sentent. excomm. in 6to. ita nec in iudicio feudali comparere; Quod

Quod tamen *hodie* de iis tantummodo intelligendum, qui omnibus privilegiis, honoribus, regalibus beneficiisque privati sunt, monente STRVV. *Dissert. Crim.* 15. §. 63. CARPZ. *Praxi Crim.* P. III. qu. 140. n. 124.

## §. XVI.

Quaecunque demum causa legitimum parit impedimentum, eadem a poena priuationis liberat. ANTON. *iusti impedimenti.* *Disp.* 8. *Th.* 4. & 5. Quamuis autem nulla sit dubitatio de maiore, quin contra eum alias praescriptio currat, nemo tamen dubitabit, eum ex iisdem restitui causis, ex quibus maiores in iure laesi aut capti restitui solent, CRAGIUS *L. II. c. 12. §. 9.* & tunc deducendum est tempus, ex termino a Lege praefinito, per quod durauit tale impedimentum legitimum. HORN. *I. F. c. 17. §. 14.* Referri autem possunt ad eiusmodi impedimenta: omnis metus iustus, qui in constantem virum cadere potest, siue sit hostium, aut latronum incursus, siue tempestatibus, in mari aut terra exoriundae exortaeue, siue sit inundationis, belli, & quaecunque demum pericula cum his conferri possint. SYLVANVS *de feud. recognit. qu. 44. & 62. Thom.* CRAGIUS *d. 1.* Vasallus vero tale impedimentum allegans, illud ut facti est, probare tenetur, ROSENTHAL. *c. 6. Concl. 55.* imo ob defectum sufficientis probationis ad iuramentum admittendus, *sic respondit F. I. L. Mense Augusto 1630. hisce verbis: massen ihr denn / daß solcher Verzug der Lehn-Nuthung von euch nicht dolose oder aus Nachlässigkeit geschehen / endlich zu erhalten erböthig.*

## §. XVII.

Petenda vero est inuestiturae renouatio, humiliter *Quomodo* & deuote, 2. f. 23. v. *quomodo enim, cui respondet, J. F. petenda.*

Alemannicum c. 43. & Jus Sax. c. 22. cum Capitulat. Leopold. c. 4. Specialia solemnna ex cuiuslibet curiae feudalis pendent consuetudinibus; quae in curia feudali Electorali Sax. usitata sint, cognosci possunt ex HORNII *Jprud. feudal. c. 17. §. 16. eiusdemque Appendice sub n. 1. 2. 3. alia diuersarum prouinciarum solemnna legantur in appendice examinis Strykiani*, quae referre nimis longum foret. Notabilis tamen est inuestitura Austriaca, quam refert GOLDASTUS in *Politischen Reichs-Handlungen* p. 127. Würtembergica, quam recenset HORTLEDER *Tom. I. L. III. c. 9. f. 83.* & Saxonica ap. CARPZ. *ad L. Regiam Germ. cap. 10. Sect. 9. n. 24.*

## §. XVIII.

ubi petenda.

Ratione loci petendae renouationis, Doctores inter se non conueniunt. Statuunt enim nonnulli, quod Vasallus non teneatur, alio atque consueto in foro adire Dominum. Sic dicit Thom. de MARI T. II. P. 2. n. 52. *Si Vasallus non inuenerit Dominum, in solita habitatione, excusatur, nec tenetur vagabundum Dominum sequi.* Alii vero affirmant: quod Vasallus extra solitam habitationem dominum degentem sequi debeat, si non fit in loco valde remoto, L. 1. §. dies ff. *quando appell.* SCHNEIDEW. P. V. n. 50. ubi communem hanc dicit opinionem, si Vasallus sit in vicinia, VULTEI. c. 7. n. 34. In *Capitulat. Caroli VI. Art. 16.* cautum, ne propter inuestituram, quis extra imperium vocetur. Peculiari vero gaudent privilegio Archiduces Austriae, vi cuius intra fines territorii sui, de feudis imperialibus inuestiuntur; item Reges Bohemiae, qui ultra quindecim milliaria germanica extra regnum petere & accipere inuestituram non tenentur. *INTERVS de feudis Imperii c. 2. §. 4.* Alias regula-

regulariter locus petitionis & acceptionis inuestiturae est Cancellaria feudalis, seu Curia Domini, HORN *in J. F. c. 17. §. 15.* atque inuestiturae feudorum regalium, fiunt in Aula Imperatoria. ARUM. *de Comit. imper. c. 8. n. 21.*

## §. XIX.

Petitio Vasalli Germanis appellatur: der Ansinnungs <sup>Nomen pe-</sup> item Lehnsinnungs Zettul / item Lehn-muthung / quod vo-  
cabulum muthen / anmuthen / germanicum est, ac idem <sup>tionis</sup> & gratifi-  
denotat, ac ansinnen / ansuchen / bitten / nec non der Lehn <sup>cationis.</sup>  
folge thun. HORN *in J. F. c. 17. §. 2.* Virtute dictae peti-  
tionis Vasalli, annua praescriptio non currit, sed impe-  
ditur. Lehn-N. *c. 24.* Peracta petitione, breue aliquod, in  
testimonium petitionis factae, testatum conceditur Va-  
sallo, quo ipse testatur Dominus, petitam esse inue-  
stiturae renouationem & vocatur, ein Muth- Schein /  
Lehn- Sinnung / es wird ihme eine recognition darüber er-  
theilet. Inprimis autem, si impediatur Dominus facere  
inuestituram, solent dari litterae, quae vulgo dicuntur  
Muth-Zettul / quarum formulam exhibet SCHNEI-  
DE W. *P. V. n. 128.* In aula vero Electorali Saxonica,  
non datur Vasallo testatum Domini ob petitam renoua-  
tionem, sed statim facta oblatione potest inuestiri; inte-  
rim tamen datur testatum vigilantiae, Vigilanz-Schein /  
si enatum aliquod impedimentum, quod inuestituram  
remoretur *conf. Mandat. Elect. de dato d. 12. Nouembr. 1691.*  
*verb.:* Das aber / weil bisshero. quod attestatum, si non  
adeptus fuerit Vasallus, aliunde inuestituram esse peti-  
tam, probare tenetur. ROSENTHAL. *c. 6. Concl. 63. n. 6.*  
quam probationem dubio procul ob multitudinem nego-  
tiorum

tiorum in Aula Principum obuersantium, difficillimam  
dicit GAILIVS L. II. *obf.* 57. n. 6.

## §. XX.

*Requisi-  
tum reno-  
uationis  
est laude-  
mium.*

Solet etiam pro inuestiturae renouatione laudemium praestari; quod torto collo SCHILTERUS in *Disser-  
tatione fertat. de bonis allodialibus* §. 5. a Leodibus deriuat, ma-  
iori vero conuenientia usitatoque Germanis loquendi-  
more, deducitur a laudando, veluti, quod Dominus lau-  
det & approbet recipiendo ac inuestiendo Vasallum.  
MARIUS BURGIVS *Tr. de Laud. p. 1.* Apud nos dicitur  
Laudemium die *Lehnwahr / Lehn-Geld / Handlohn.* Et su-  
mitur in generaliori significatu, pro omni eo, quod  
soluitur Domino in recognitionem & admissionem no-  
ui possessoris. SOLSONA. *Lucern. Laudem. praecclud.*  
4. n. 3. Vulgo est pecunia Domino feudi pro recep-  
tione noui Vasalli soluta. FRANZK. *Tr. de Laudem.*  
c. 2. n. 1. Jure quidem feudali laudemium non debe-  
tur, sed gratis ea fieri debet inuestitura, FRANZK. *d.*  
*Laud. c. 4. n. 9.* (falso in partes trahitur textus *l. f. 24.* ubi  
verba leguntur: *filia non habeat beneficium patris, nisi a Do-  
mino redemerit,* siquidem haec propter subsequencia com-  
mode de redimendo feudo capi *a. 2. f. 15.* sicque cum  
materia beneficiaria conciliari possunt, ) adeo, ut rele-  
uium non ex iuris dispositione, sed consuetudine sit in-  
troducendum, aut, si mauis, ex transfumtione Juris Justinia-  
nei, *L. f. C. d. Jur. emphyt.* de emphyteusi disponentis  
inualuerit. *Dom. Garfiae MASTRILLI Dec. 112. n. 1.* Ho-  
die tamen in certis terris ex consuetudine fere generali  
a Vasallo praestandum est, teste CHOPPINO *de Ciuit.*  
*parif. mor. L. 1. T. 1. n. 20. f. 26.* Alias in dubio strictissime  
semper explicandum est laudemium, nec de casu ad ca-  
sum



sum extendendum, FRANZK. *d. l. n. 18.* vnde & laudemiorum exactio, inter odium redolentia numeratur a CRAVETTA *Consil. 322. n. 220.* Regula vniuersalis dari vix potest, quo casu, quoue modo laudemium praestandum sit, cum omnia haec ex consuetudine vel pacto dependeant, & laudemia in tantum praestanda sint, in quantum recepta. HORN. *J. F. c. 17. §. 22.* Talem itaque allegans Dominus consuetudinem, eam probare tenetur, STRVV. *c. 10. Apb. 16.* qua autem ratione haecce fieri debeat probatio, docet FRANZK. *d. l. n. 19.*

## §. XXI.

Vsitatissima laudemiorum diuisio est, qua illa diuisio *Laudemio diuisio.* spescuntur in maiora & minora. Maius dicitur laudemium germanice *die hohe Lehnhahre* estque vel *simplex*, ubi quinque pro Centum soluuntur, COLERUS *Dec. 33. n. 3.* vel *geminatum*, seu *duplex*, nimirum ubi decima pars pretii penditur. *Joan. Vinc. HONDED. Consil. 79. n. 73. Vol. 1.* Jure Saxonico plerumque soluuntur quinque pro centum. CARPZ. *L. 1. Ref. 90. n. 2.* In bonis uero ecclesiasticis haereditariae recognitionis loco, duo vel quatuor pro Centum soluuntur, & Jur. Ciu. in Emphytevisi quinquagesima pars pretii praestanda, siue duo ex singulis centum thaleris. *L. f. C. de Jure Emphyteu. CARPZ. Consil. 39. D. II.* Qua ex ratione FVLGOSVS quoque *Consilio 6.* subdubitat: an consuetudo vim habeat, qua laudemium ultra quinquagesimam partem adaugeatur? Cuius tamen dubitatio non tanti est ponderis, vt persuadeat, consuetudinem non posse augere, atque imminuere eius quantitatem. AMEDEUS *de ponte qu. 47. Laudem.* Variat enim illud secundum locorum varietatem BURSATVS *Consil. 127. n. 54. & 55. L. II.* In Gallia, alicubi sexta,

sexta, alibi duodecima pretii pars est. *Joan. IMPERTVS Enchirid. Jur. Gal. Lib. L. Mantuae decima. SOCIN Jun. Consil. 70. n. 5. & Lege Placentina pars quadragesima Feder. Scot. Resp. 2. n. 22. T. 1. L. 4.* Minus vero Laudemium, abusive, dicitur honorarium, quod non tantum Domino, quam Praefectis aliisque ministris, pro confectione Litterarum investiturae exsoluitur; *KNICHENP. II. c. 4. n. 158.* alias die kleine Lehnwahr dictum oder Schreibschilling / *conf. de utroque late agentem, casusque diuersimodos decidentem, HENR. IV. GALLIAE REG. Codicem Jur. Civilis Romani, L. 8. c. 8. seq. p. 202.*

## §. XXII.

*Quantitas a probante probanda.* Supra iam monitum, Laudemium exigenti incumbere probationem, cum tota Laudemiorum ratio unice a consuetudine dependeat, *RICHTER. Dec. 28. n. 8.* ubi itaque receptum est, regulariter secundum verum rei pretium praestandum erit, *ceu respondit F. J. Lips. Mensis April. 1702.* So seyð ihr das Lehn-Geld / nach dem eigentlichen Werthe des Gutes abzustatten schuldig. nullaque alia pretii intelligitur quantitas, quam ea, quae in praesens, dum alienatio fit, (*uti in F. J. Lips. M. Febr. 1700.*) quam investitura sequitur, res aestimatur *CARPZ. L. 1. Resp. 90. BRUNNEM. ad L. f. C. de Jure Emphyteo. n. 24.* nisi usu aliud hac quoque ex parte introductum sit. Sique in casum mortis soluitur, secundum valorem fundi, qui fuit tempore, quo mors secuta, praestatio facienda est, *vid. BERG. Oecon. Jur. L. 3. T. 5. p. 701.* ubi non minus pro hac sententia, quam ea, quae ad tempus ultimi super feudo contractus initi respicit, praeiudicia allegat.

## §. XXIII.

## §. XXIII.

Laudemii solutio exigitur mutato Vasallo, feudo-  
 que translato in eum, qui prima inuestitura non com-  
 prenditur, COLER. *Dec. 33. n. 35. & 37.* sed hanc re-  
 gulam reiecit FRANZK. & substituit, omnes illos teneri  
 ad Laudemium, qui inuestitura indigent; tales sunt, qui  
 cum Vasallo priore nullam personae itenditatem habent,  
 ut qui titulo singulari feudum acquirere nituntur: LYN-  
 CKER. *in Analect. J. F. c. 10. apb. 13.* ab iis vero, qui domi-  
 nium continuare intelliguntur, minime exigendum. L.  
 46. ff. d. R. N. L. 2. ff. d. Cond. Inst. Const. Elect. *inedita von*  
*Lehnwahr.* COLER. P. 1. Dec. 33. BERLICH. P. 1. Dec. 19.  
 CARPZ. L. 1. T. 9. Ref. 88. Quo supposito fundamento, vi-  
 duam liberosque a laudemii praestatione, mortuo patre  
 & marito, exemptos censuit respondendo F. J. Lips. *Men-*  
*se Aprili 1702. verb.* So mag von der ieszigen Lehn und Ges-  
 richts-Herrschaft auf dem Todes-Fall eines Hauswirthes,  
 dessen Wittib und Erben / das Lehn-Geld zu erlegen / nicht anz-  
 gehalten werden / es wäre denn durch Verjährung der Ges-  
 wohnheit ein anders eingeführet / dessen genößen sie billig.  
 Unde non incongrue infertur: liberos bona feudalia pa-  
 terna inter se diuidentes, ad laudemii praestationem  
 non obligari. Hartm. PISTOR. P. 1. qu. 50. n. 54. seq. Si-  
 mon Vlricus PISTOR. *in notis ibid.* ita & tenuit iudicando.  
 F. 1. Lips. *Menfe Decembri 1716.* dissentit tamen SCHILTE-  
 RVS *de bonis allodialibus §. 48.*

## §. XXIV.

Is itaque ad laudemii praestationem adstringitur, *Qui sol-*  
 qui nouiter inuestitur, siue fiat per emtionem, L. f. C. d. *uunt lau-*  
*Jure Emphyteu.* siue permutationem, aliumque contra-  
 dum innominatum, d. L. f. *verb. pretii.* siue donatio-  
 nem,

D

EXERCITATIO VII.

nem, siue Testamentum, RICHT. *Dec. 83. n. 31.* siue ex causa aliqua necessaria, e. gr. si ob debitum bona sub hasta in solutum dantur Creditori. AMEDEVS de PONTE *qu. 27.* TESSAVR. *Dec. 139.* Sed & eo in casu laudemii praestatio exigitur, si perfecta & consummata venditione, inuestituraque iam facta, contrahentes iterum a contractu recedant; quia enim reuera noua fit emptio venditio, noua quoque opus est inuestitura. CARPZ. *P. II. C. 30. D. 13. n. 9.* Utrum autem vetus an nouus emptor, ad laudemium soluendum obligatus sit, dubitatur? Nonnulli venditorem aut alienantem ad illud obligari volunt, FERD. de CASTRO PALAO *Part. ult. oper. moral. Diss. 10. punct. 13.* alii distinguunt inter *Lehn-Geld* / & inter *Consens-Geld* / illud nouum possessorem, hoc venditorem soluere, vult SPEIDELIUS *Spec. Jurid. voce Lehn Dienst.* Nulla vero hic opus est distinctione, dum ipsa iuris ratio facit, vt nouus acquirens obligetur, & quidem non tantum Jure Justiniano, sed & nostro, vtroque enim iure, penditur laudemium pro inuestiturae receptione, quam sententiam communem dicunt *Doctores*, quorum cumulum exhibet FRANZK. *c. 16. §. 114. §. c. 23. §. 30.*

## §. XXV.

Mutato Domino, nullum soluitur laudemium. Nihil enim de nouo conceditur Vasallo, pro quo laudemium praestandum esset CARPZ. *P. III. C. 39. D. 28.* quod ex antiquis instrumentis illustrat SCHILTERVS de *bonis laudem.* §. 48. etiam si litteris inuestiturae vel aliis instrumentis cautum esset, quod *Laudemium sit exsoluendum, quotiescunque manus feudi, ceu loquuntur, mutata fuerit.* Illud enim in dubio tantummodo intelligendum de manu

*Mutato  
Domino  
laudemium non  
soluitur.*

manu feruiente, non dominante, STRVV. c. 10. *Apb. 13.*  
*n. 3.* cum Laudemia quam maxime sint odiosa, & mini-  
 me extendenda. *Carol. MOLIN. in Consuet. Paris. Tom. 1. c.*  
*23. §. 3.* Sed haec obtineant, nisi contrarium receptum  
 esse probetur, hoc modo limitauit ante dicta pronuncian-  
 do. *Scabinatus Lips. Mense Maio 1685.* Obseruantiam di-  
 ctis contrariam, vi cuius mortuo etiam Domino prae-  
 stetur laudemium, in Saxonia esse receptam, ostendit  
 CONST. ELECT. *nouissima 1. §.* Und dergleichen. Inter-  
 rim etiam huiusmodi consuetudines strictissime accipi  
 debent, vt si forte receptum sit, mortuo Domino lau-  
 demium solui, illud extendi nequeat ad casum, quo alia  
 ratione Dominus mutatur. ROSENTHAL. c. 6. *Concl. 66.*  
*n. 9.* cum in ipsis terris Saxonis vsus & obseruantia  
 praesupponatur. *vid. ORD. PROV. MAVRIT. p. 31. Tit. Von*  
*Ordnungen und Freyheiten der Städte. §. Wir wollen auch.*

## SECTIO II.

DE

OBLIGATIONE FEVDALI  
INTER DOMINVM DIRECTVM  
ET VASALLVM.

§. I.

QVemadmodum ex omni pacto descendit aliqua obli- *De obli-*  
 gatio, sic nascitur etiam ex contractu feudali re- *gatione*  
 ciproca obligatio, inter Dominum ac Vasallum, ad fidem, *feud. li in*  
 seruitia, aliaque, quae contractu feudali continentur, *gener.*  
 HORN *J. F. c. 18. §. 1.* Pro duobus enim correlatiuis  
 habentur Dominus & Vasallus. GABRIE. *de Jur. quae-*  
*sit.*

D 2

*fit.* Fidelitate obstringitur, Domino Vasallus; verum etiam fide iungitur, Dominus Vasallo, 2. f. 7. *in f.* imo, vt arctissimum exprimatur vinculum, Dominus Vasalli perhibetur vxor, 2. f. 58. *pr. in f.* quod multis exornat obseruationibus, CHOPPIN. DELL ANDR. L. II, P. II. c. 1. T. 4. n. 3. Haec tamen obligatio, non in omnibus & per omnia parilis est, Claud. SEYSEL *Specul. feud. Rubr. de definit. & inuent. feud. vers. istae tamen f. 75.* fed quasi subordinata.

## §. II.

*Dominus tenetur: 1) ad feudum & vacuam possessionem tradendam.*

Maxime obligatur Vasallo Dominus directus, ad vacuam feudi possessionem tradendam, 2. f. 7. & 2. f. 26. §. *si facta.* cum utili Dominio. Hinc omnium cum iure conceditur Vasallo actio contra Dominum ad plenam feudi possessionem consequendam, feudoque siue assedationibus (h. e. locationibus) vel oneribus realibus grauato, liberationem ab illis, aut interesse praestare tenetur. Thom. CRAGIUS L. II. c. 8. §. f. Adeo autem, Dominus ad traditionem feudi, quod tenet, obstringitur, ut ne praestando interesse quidem liberetur, BITSCH. *Comment. feud. p. 249.* modo tradendi facultatem habeat. ANTON. *Disp. 4. Th. 9. n. 9.* Praestatione enim eius quod interest, in obligatione ad dandum non liberatur, a. 2. f. 26. §. *si facta* L. 75. §. f. ff. *de V. O.* idque non tantum, si promissio feudi sit facta ex venditione, sed etiam, si ex alio, vt donationis, dotis dationis &c. titulo profecta; Dn. MENCKEN *in Controuers. Select. Jur. feud. Disp. II. Th. 9.* Nascitur quippe ex hac promissione, si feudum nondum acquisitum, vel Vasallus in possessionem missus, actio ex stipulatu. CRUSIUS c. 9. *Lit. c.* Feudo vero, vna cum possessione tradito, Vasallo illico com-

competit actio, in rem utilis, 2. f. 8. §. rei. ZASIVS P. VI. n. 37. HARTM. de Feudis obs. 13. Mora, si qua, in tradendo admissa, Dominus ad interesse obligatus est Vasallo, seu ad omnem utilitatem exhibendam, quam habiturus esset, si statim post praestitam fidelitatem, in vacuum feudi possessionem missus fuisset, 2. f. 7. ANT. Disp. 7. Th. 10. Lit. v. CRAGIVS d. L. §. 2. Nec distinguitur: an res propria, an aliena in feudum sit concessa, utroque enim casu tenetur ad euictionem, modo eo, qui post delineabitur, siue sciuerit, siue ignorauerit, rem esse alienam, 2. f. 8. §. f. ROSENTHAL. de feud. c. 8. Concl. 29. SCHRAD. de feud. P. 5. c. 6. n. 5. seq. hunc in modum resp. F. J. Lips. M. Jan. 1701. quod intelligo, ubi res est in feudum data, nam, ubi oblata, deficere evincendi necessitatem, facile diiudicari potest. vid. STRVV. S. J. feud. c. 6. aph. 9. n. 7. conf. FRANZK. de euict. n. 126. ita & intelligi B. Riinum, qui ad O. P. Sax. Tit. 14. Enunciat. 5. tradit: Dominum directum ad praestandam euictionem partium in literis Inuestiturae denominatarum, non teneri, vbi & dicta Respons. Scab. Lips. illustrat.

## §. III.

Omnis tamen traditio feudorum, non alia lege, Citra quam salvo domini directi iure, facienda est, 2. f. 78. praecidium §. si Vasallus. Semper enim Dominus in eo sibi reservat dominium directum, seu abusive proprietatem, adeo, mini directi. ut in Vasallum non omnis libera de feudo disponendi facultas translata appareat, sed ut feudum conferuet, non deteroret. Praeter enim dependentem Domini a directo partem, feudi ususfructus, sumto vocabulo in sensu feudali ei tribuitur, in quo administrando pro officio boni Patrisfamilias feudum a ruina praeservare, & quibus-

quibuscunque conditionibus datur, in melius redigere debet. *Thom. CRAG. L. II. c. II. §. 12.* Sic Vasallus praedio feudali acquirere potest, seruitutem 2. f. 8. pr. eam vero imponere nequit, *VVLTEI. c. 10. n. 50.* & si imposuerit seruitutem, obest quidem Vasallo, eiusque haeredibus, Domino autem Agnatisue succedentibus, etiam, si per longissima tempora continuata, ea minime nocet. *d. l. 2. f. 8. pr.* Nec denegatur Vasallo transactio de feudo litigioso, ratione Dominii utilis, *STRVV. aphor. 8. n. 5. seq.* minime vero directi, atque haec ipsa transactio de utili dominio suscepta, nec stringit agnatos, nec nocet illis, quippe, qui Jure proprio in feudo succedunt. *ROSENTHAL. c. 9. Concl. 27. n. 17.* Porro Vasallo, vi sui Dominii vtilis, feudum alienare non permittitur, 2. f. 38. 52. & 55. quandoquidem Dominium inter Dominum & Vasallum, quasi diuisum, altero directum, altero vtile dominium in re habente, 2. f. 8. impedit vnus sine praescitu alterius distractionem, adeoque vtriusque ad validitatem negotii, requirendus consensus. 2. f. 34. §. *ex eadem lege.* Quae ad Vasallum, vt vtilem dominum pertinent, sunt: quod omnes percipiat vtilitates fructusque fundi, siue naturales, siue industriales, siue in superficie, siue in visceribus terrae, commoditates, libertates, priuilegia, & omnia, quae directus Dominus, antequam in ipsum transferret feudum, habuit; dependenter tamen, adeoque non minus iure proprietatis gaudet, omnesque actiones de feudo & contra feudum Vasallo, & in Vasallum competentes actiue & passiuè subit, *conf. Thom. CRAGIUS in Jure Feud. L. I. T. 8. §. 1.*



## §. IV.

Quod si Dominus feudum praestare non possit, 2.) Si feudum aut ad feudum aequè bonum dandum, aut ad aestimandum ne-  
 tionem feudi soluendam obstringitur, 2. f. 8. 25. Quic-  
 quid in contrarium velit STRVV. cap. 6. apb. 9. Certe  
 hic in feudali iure aliquid peculiare statutum deprehen-  
 ditur, alias enim civili Jure in omnibus ad factum ten-  
 dentibus obligationibus, qui non facit, quod promisit,  
 ad id, quod interest praestandum indistinctè condemna-  
 tur, L. 13. §. 1. f. de R. J. l. 78. 72. ff. d. V. O. CARPZ. L. III.  
 Resp. 99. n. 31. seqq. Anton. GOMEZ. variar. Resolut. Tom. II.  
 c. 10. n. 22. Hic tamen arbitrio Directi Domini, aequi-  
 pollens dare an velit, relinquitur. Si feudum euincatur,  
 non minus ad feudum eiusdem bonitatis, vel inter-  
 esse consequendum tendere licet, d. textu 2. f. 8. §. 1.  
 cui fini obrinendo actionem praescriptis verbis, inferuire  
 tradit, CUIACIUS ad textum allegatum. conf. Jul.  
 CLAR. L. IV. Recept. Sentent. §. feudum, qu. 26. n. 2.

## §. V.

Haec sufficiant de obligatione Domini directi erga Vasallus  
 Vasallum; Vasallus autem obligatur Domino 1) ad fi-  
 dem, quae iurato regulariter promittenda, cuius con-  
 tenta habentur, in textu 2. f. 5. 6. 7. aliasque huius fide-  
 litatis iuramenti formulas antiquas, reperimus in Capitu-  
 laribus CAROLI M. Lib. IV. T. 46. vid. ITTERVS de feu-  
 dis Imperii C. 9. §. 38. hancque fidem omnes Vasalli Do-  
 minis suis, sine dignitatis conditionisue discrimine prae-  
 stare debent, siue sint superiores, siue pares, siue infe-  
 riores, nec Imperatore ac Papa excepto. 2. f. 100. Sächs.  
 Sehn: N. c. 3. in f. ZASIVS de feudis P. V. n. 71. Et quam-  
 vis dentur feuda, vbi Vasalli, vi conuentionis, fidelita-  
 tis

tis iuramentum Dominis suis non praestant, 2. f. 3. *in f. ubi verba: Sine iuramento.* nihilominus fides feudistica, ut substantiale feudi, ipsi feudo semper inest, Vasallusque ad eam agnoscendam sub feudi iactura compelli potest, HATTYSER 7. F. c. 2. Lit. a. cum vnum vinculum hic non minus stringat, quam duplex, si ad officium Vasalli reflectas.

## §. VI.

*Consistit fides i.) in reverentia.*

Consistit vero fides feudistica, 1) in exhibenda reverentia. 2. f. 22. *vers. curia autem.* & 2. f. 23. *vers. quomodo enim.* Hinc Vasallus argumento a liberto ducto, aduersus Dominum suum exceptione aut actione famosa procedere non potest. L. 10. §. 12. ff. *de in ius vocando.* a. 2. f. 22. Ne tamen in lucro captando versari sic Dominus queat, in damno vitando Vasallo distento, conceditur actio vel exceptio in factum; verum citra famae surgillationem & necessitatem apud Nos veniae impetrandae. ROSENTHAL. c. 10. *Concl. 23. n. 1.* DVAR. c. 14. n. 13. Simili ex ratione Dominum conuenire actione ex interdicto vnde vi orta 2. f. 22. *verb. ne reuerentiam laedat.* L. 1. §. 34. *de vi & vi armata.* prohibetur, quamuis in casu vis publicae armataeque, res nondum confecta sit. Idem fundamentum petit Vasalli aduersus Dominum perhibendi testimonii interdictio, 2. f. 33. §. *similiter.* vbi feudistica distinguit inter causam criminalem & ciuilem, & inter ciuilem magnam atque modicam, prout communis Doctorum est sententia. BORCHOLT. c. 8. n. 128. ZAS. *in Epit. feudal.* c. 10. n. 40. ALVAROTT. & Matth. *de Affict.* ad text. 2. f. 33. §. *similiter.*

## §. VII.

Video hic Doctores in diuersa vel dicenda, vel fingenda

genda sententia nostri textus 2. f. 33. §. *similiter* occupari, de sensu maximeque verbis: *Vasallus testimonium contra Dominum textus 2 f. reddere non debet in Ciuili causa modica aut Criminali*, 33. §. *similiter* ab ipsis tribui ancipitem. Liceat paucis Doctorum de eo traditiones lustrare, quæque sentiant rimari.

CUIACIUS, vt nota Gothefredi testatur ad d. *textum littera a, & b.* transponit voculam *modica*, & in sequentibus textus verbis: *quidam tamen dicunt in Criminali non licere in Ciuili licere*, ante vocabulum, *licere* interponit *modica*. RITTERSHVS. d. *feud. L. 2. c. 1. n. 20.* ne se in explicatione verborum misere torqueat, autoritatem & vsum dicti paragraphi in dubium vocat, & indistincte a testimonio arcendum esse Vasallum, autumat. B. D. HORNIO in *J. E. c. 18. §. 4.* nec haec, nec alia visa est ferire scopum opinio, adeoque ab omnibus hisce pluribusque aliis facit diuortium, postremamque ad minimum explicationem sic enucleat, *quod vox MODICA exemplificatiue dubitationis tollendae causa, quae circa modicam litem oriri potuisset, vel amplificatiue, subintellecta vocula ETIAM aut ETIAMSI accipienda sit*, demum addit, si nec haec interpretatio cuidam arrideat, se arbitrari, *feudistam hoc loco suppeditasse argumentum a minori ad maius: si in modica causa non licet testimonium dicere contra dominum, multo magis non licebit in causa magna.* In hac dispari Dd interpretatione textus, fatemur difficilem esse electionem, neque tamen cum Ernesto Theoph. MAIERO in *S. Jur. feud. cap. 22. p. 679.* faciemus, qui in nostro textu tantum relatiue quorundam opiniones proferri autumat: potius saluo vnus cuiusque iudicio & autoritate non minimi facta, quam nobis de supra dictis verbis for-

E

mare

## EXERCITATIO VII.

mare fedeat interpretationem, & cur vna vel altera ex praemissis minus placeat, indicabimus. CUIACIUS obtrudit magis suum verborum sensum, quam quod ibidem deprehendatur. RITTERSHVSIUS se committere noluisse dubiae explicationi iudicandus, cum praetextu eodem alias si liceret, arrogata sibi dicendi quid velit auctoritate, quam maximas controuersias occasione verborum legum subortas, hoc elabendi modo sopire, detur. B. HORNIVS boni Juris interpretis officium obiit, cui non minus de verbis atque de horum sententia cogitare, & verborum vim emollire incumbit, adeoque, quomodo conciliari tam diuersae opinioniones queant, subministrat, interim magis videtur diffidiis componendis quam dissoluendis dicto loco vacare voluisse. Fateor mihi determinaturo meam sententiam, perlegendo nostri textus verba, variam incidisse eorundem explicationem; Ne vero videar prorsus anceps stetisse, aperiam quem conceperim mihi textus sensum. Nimirum post voces *in ciuili causa* nullum offenditur comma positum. Quid si dixerem mentem Legislatoris fuisse: *in Ciuili causa Testem Vasallum esse non debuisse*, aut *in modica criminali*, seu quod idem, vt verborum est series, *modica aut Criminali*, vel si haec non arridet interpretatio, aliam dabo, nimirum textus declarat, Vasallum *in Ciuili causa modica aut Criminali*, (repete MODICA) *Testimonium dicere non debere*. Noli obiicere me in seligenda sententia ipsum fluctuare; namque vtraque explicatio eadem in ratione se fundat, nec collidit. Vasallus nimirum ob interesse publicum, in causa, quae irreparabile damnum Reipublicae iniicit, seu non modica, testari non prohibetur, cum hoc priuatam longe vincat vtilitatem, adeoque vox modica ad

vera verborum textus explicatio.

ad vtramque spectat causam. Si rationem alterius formatae sententiae flagitas, est, prout ipsa verba iacent in causa Ciuili modica Vasallum testem esse non debere, fundamentumque huius thesios hoc est: Non posse non, proteruitiae ac iniuriae in Dominum Directum commissae, reum dici Vasallum, qui in leui causa pateretur, se Testem contra illum adhiberi. Imo, si vocem reddere exaggerare velles, noua forte subnasceretur in hac vocula latens vis, quum idem atque denuo dare notet. Sed progrediamur.

## §. VII.

Adeo vsque praesumere pro Domini sui bona, quam se erga fouet, intentione, debet Vasallus, vt ne quidem malitiae speciem, quam declinandam litem mouentibus iniungunt leges, suspicari de ipso permittatur, namque contententi secum consuerum desiderare a Domino iuramentum calumniae iura prohibent 2. f. 33. v. in quibus *vnde iuramentum Calumniae flagitare non licet.*  
 SONSBECK. d. Feudis P. 14. n. 31. VULTEI. L. II. c. 3. fides con-  
 n. 6. Reuerentiae Seniori debitae communiter adiungi-  
 tur obedientia, ABA. Consil. 172. n. 5. vnde nascitur quae-  
 stio: An obsequium etiam subiectionem in se compre-  
 hendat? quod quidem de feudis Saxonice, aliarumque  
 Prouinciarum asserendum, quae non simplex Vasalla-  
 gium, sed & subiectionem post se trahunt. CARPZ. L. 6.  
 R. 115. SCHILTER. Ex. 13. §. 27. LYSER. d. Landsass. §.  
 28. & late D. MENCK. in Dissert. d. Vi Superiorit. Territor.  
 in Territ. claus. & c. j. BEIER. Delin. iur. Feud. cap. 8. pos.  
 6. Alias vero iure feudali multum discriminis datur in-  
 ter subditum & Vasallum, hic enim ad fidelitatem, ille  
 vero ad obedientiam subiectionis obligatus, vti declarat  
 Illustr. SECKENDORFF. P. III. c. 3. Tit. 4. Adstringit  
 vincu-

- 2.) *in com-* vinculum fidei feudisticae Vasallum 2. ad quaerendum  
*modo* Domini commodum, quod promouere debet, in specie  
*quaerendo.* quidem per seruitia militaria; in genere autem etiam ex-  
 tra eiusmodi seruitia, ita se gerere debet, ne vel com-  
 mittendo vel omittendo obfit a) vitae corporisque in-  
 columitati & securitati b) honorumque tutae, facili &  
 possibili conseruationi. 2. f. 2. 5. 6. 7. KOHL. *de Seruit. feu-*  
 3.) *in da-* dal. L. 4. n. 1. *segg.* Quo consequenter refertur, vt quan-  
*mo auer-* tum per ipsum stat damnum Domino metuendum, 3.)  
*tendo.* auertat. d. *textu j. 2. f. 6. 7.*

## §. VIII.

*Vasall.* Itaque Vasallus vltterius Domino seruitia debet,  
*oblig.* sed vti haec, nec omnibus proficiunt, & haud difficulter  
*ad serui-* ab aliis quandoque obeuntur, sic non raro Vasallis re-  
*tia,* mitti videas, quo ipso fidei praestandae nihil arbitreris  
 decedere, namque si persona, bona fortunaque Domini  
 periculo exponatur, eo dicta remissio non extendenda,  
 quin potius tunc indistincte adstare iuuareque seniore  
 suum tenetur beneficiarius, immunitatemque non nisi  
*diuidun-* frustra allegat. Videamus, quam varia sint Seruitia,  
*tur.* Ritterdienste / Kriegsdienste / Heerfarthen / eaque in pagana  
 & militaria, communiter dispescuntur, illa honoris causa,  
 in Ehren : Fällén / als bey Beylagern hohen Leichbegängnißén  
 und Fürstl. oder andern dergleichen Einzügen praestari solent;  
 haec vero tempore belli periculiue instantis exhibenda,  
 vnde etiam seruitia militaria dicta. 2. f. 7. 12. 26. 27. j. t. ff.  
 21. 24. TORNOV. *in Tr. de feud. Mecklenburgicis Sect. 4.*  
 §. 10. Haec tamen seruitiorum distinctio non infert, ad  
 vtramque speciem vna teneri, sed distinctim tantum Va-  
 sallum, nam vt militaria, securitas, sic pagana, splendor  
 & honor directi Domini, efflagitat. KOHL. *de SER-*  
 VII.

VIT. P. IV. n. 90. SCHILTERVS ad J. F. A. c. 6. §. 1. & 5. & sic pronunciauit F. J. Viteberg. Mense Aprili 1710. Despicere enim Dominum videretur Vasallus, si officia olim a feudi possessoribus exhibita, praestare recusaret nouus successor. Job. NIELIVS *Disp. feud. 8. §. 3.* De ridiculis nulliusque vsus aliquando receptis seruitiis Domino de PETTOUR dicto impositis, qui tenuit terras ex beneficio regio *per seriantiam*, pro quo omni die natali Domini, coram Rege Angliae, vnum saltum, vnum bumbulum, & vnum suffletum facere debebat, nihil dictum volo, iudicium meum suspendere malo. Exclamat eadem irridendo LAMSIVS, *Consult. super Principat. Europae, oratione contra Angliam, p. 408.* hisce verbis: *o regia seruitia! o feuda nobilia! o piam in die Cbristi natali deuotionem!* Similis farinae, si non peioris sint qualitatis & fortis, casus legat, qui velit apud BESOLD. *Theaur. Pract. Tit. L. n. 30. in f. p. 1009. col. 2.*

## §. IX.

Variat tamen interdum seruitiorum praestatio, ratione incrementi decremētique feudorum, adeo vt etiam seruitia feudo aucto augeantur, & eo diminuto diminuantur, *2 f. 54. 2. f. 77.* inprimis si indeterminata, quod in dubio praesumendum, debeantur. Certum in Jure hic modum, ad quem admensurari suas praestationes debeat beneficiarius, definitum non deprehendimus, potius Dominus quantitatem feudi respicere, ac necessitatem periculumque expendere iubetur, suoque proportionem arbitrio emetiri. Quo ipso tamen non prohibetur Vasallus, ob iniustum Domini desiderium Superiorem adire, & determinatione sua emolliri expetere. *ad. 11.* Interim leuem ac modicam accessionem, & e

Ea

Feudo aucto augeantur, diminuto minuantur.

E. 3

contra

contra exile damnum ab utroque non ilico attendi aequum est. RHET. 1. f. 44. §. 5. n. 3. seqq. Si seruitia sunt determinata, forte ad modium agrorum &c. definita, accessio horum etiam praestationem auget. ROSENTHAL. c. 10. Concl. 44. n. 55. Alias diminuuntur quoque seruitia, tanquam onus rei feudali inhaerens, si Vasallus partem fundi feudistici, permittente Domino, alienet, cum ea pro rata in alterum sic transeant, 2. f. 77. etiamsi eorum in specie non fuerit mentio iniecta, accessorii enim naturam habent. BALDVS ad c. imperialem §. praeterea Ducatus n. 7. de probib. feud. alienat. per Frider.

## §. X.

*Seruitia in feudo indiuiso a quibus exigantur.*

Sed quid dicendum, si in feudo indiuiso multi sint Vasalli: quis ex illis ad seruitiorum praestationem tenebitur? Respondendum: a singulis in solidum exiguntur, cum ad vnum tantum obstringantur seruitium, 2. f. 77. nec locum habet Exceptio diuisionis, cum haec obligatio sit indiuidua, & sic istud beneficium cesset, a. l. 85. §. 2. ff. d. V. O. ROSENTHAL. c. 8. Concl. 7. n. 3. praestatione autem vnus reliqui liberantur. l. 2. §. 2. ff. d. V. O. Hoc tamen casu non Domino, sed Vasallis concedi electionem, non iniquum erit, cum seruitiis praestitis Domino satisfiat, beneficiariisque ut Debitoribus vnum modo recognoscendum incumbat munus. NIELIVS. Disp. feud. 8. §. 4. lib. 6. Si enim haeredibus Vasalli id licet, vt diuisione post facta possessoris feudi suscepta vni communi consensu, totum feudum attribuere valeant, sicque is, quem voluerunt, Domino seruiat, cur non idem affirmandum esset de casu, quo in communi existunt. ROSENTH. c. 8. §. 23. & 24. Interim in suo pretio habenda, quae SCHNEIDEWEINVS non absque ratione pro-



proponit, nimirum plures haeredes vnum feudum possidentes *P. 4. n. 24.* obligationem in dando consistentem, & singulos quidem pro rata teneri agnoscere, quia illa ipso iure diuiditur; *L. ea quae ff. famil. hercisc.* Si vero seruitium personale sit, indiuiduum id esse, & idoneum eligi debere, qui pro omnibus seruiat. Dicta limitamus, si forte feudum diuisum, Domini consensu, tunc enim vti non amplius mere vnum dici meretur feudum, sic nec vna fidelitas, seu obligatio ad fidem & seruitia remansit, sed tot, liceat ita loqui, sunt fidelitates, siue obligationes ad fidem & seruitia, quot feudi partes, & a quouis pro quantitate acquisita exigenda seruitia veniunt. *2. f. 77. j. 55. s. praeterea. FACHIN. L. 7. 6. 54. in f.* Ast ea, quae sine consensu Domini facta diuisio, minime praeiudicabit ei, quo minus seruitium a quolibet possit exigere in solidum. *a. L. 25. § 26. C. d. Pactis.*

## §. XI.

Seruitia militaria ratione feudi debentur, non tamē ita, vt eo indistincte restringantur, cum officii intuitu quandoque non minus talis induci queat obligatio, cuius rei exempla videbis apud SCHILTERVM *ad sunt, in bello offensiuo & deuersiuo.* *J. F. Al. c. 89. p. 359.* Si qua autem in genere diiudicanda sunt, illa ita determinari conuenit, vt primo inspiciantur Litterae inuestiturae, secundo regionis mos, & tertio qualitas feudi, qua in parte *Schedulae lustratoriae* definiendam proportionem seruitiorum non parum adiuvant. *conf. STRVV. S. J. F. cap. II. aph. 5. n. 5.* Quod feuda Imperii attinet, matricula sufficienter seruitiorum indicem non minus, quam nonnunquam rationem dat. *ITTERVS de Feudis Imperii cap. 20. §. 3.* Praestantur autem vel equis, vel armis, aut simili aequipollenti modo, quo-

quotiescunque periculum aliquod imminet domino, 2. f. 7. STRVV. d. l. n. 1. & quidem nullo obseruato discrimine, siue bellum sit offensiuum, siue defensiuum, sed non eo in casu, si Dominus feudi ab alio stipendio ductus militat, ad seruitia militaria tenetur Vasallus, momente SCHRADERO P. 6. c. 6. n. 66. quod per se limitationem continet, si belli causa simul aut per consequentiam concernat Dominum feudi. Nec extendendum seruitium militare ad custodiendas vias publicas iussu Domini: Die Straffen zu bereiten / quia territorii Dominus suis sumptibus ob vectigalia, quae percipit, viarum securitatem conseruare, defendereque debet. R. I. de anno 1555. §. nachdem aber ein jeder. conf. SCHVLZ. c. 10. n. 32.

## §. XII.

non vero  
notorie ini-  
iusto.

Non vero Dominum suum in bello iniusto Vasallus defendere tenetur, vt dispositum legitur 2. f. 28. modo bellum notorie sit iniustum, alias, si causa dubia, Domino in dubio obediendum. LVDW. in Synops. feud. p. 592. & BONACIN. Theol. moral. Tom. II. Restit. Disp. 2. Sect. 1. punct. vlt. §. 2. n. 10. dicit: militibus, qui sunt subditi, Principi indicenti bellum, satis esse, si sciant, causam belli non iniustam, in dubio enim obediendum est superiori & praecipienti, & in eius fauorem praesumendum. Licet enim is, qui quicquam dubia conscientia facit, peccare dicatur, cum implicite malum velit, Rom. XIV. vlt. c. f. X. d. Praescript. distinguitur tamen hic inter dubium theoreticum & practicum; HORN. c. 18. §. 10. Nec ad officium Vasalli pertinet, nimis scrupulose inquirere in actiones Domini, c. 4. C. 23. qu. 1. GROTIUS L. II. d. 7. B. & P. c. 26. §. 3. 16. cui intimiora secretioraque raro tam accurate, vt firmiter decidere possit, patefiant. Quod vero feudiffa  
asserit

asserit in *Text. 2. f. 28.* in bello etiam iniusto, defensiuo tamen, obligatum esse Vasallum ad opem Domino ferendam: id non conuenire Juri diuino, sentit JACOBI-  
 NVS de S. GEORGIO de feudis §. 5. *promiserunt. n. 8.*  
 ZIEGLERVS ad *Grotium L. II. c. 26. n. 3. p. 512.* vbi & eorum opinio, qui ex eodem textu a Vasallo indistincte exigunt, vt omni in bello iniusto Domino praestet seruitia, vt reiecta, c. 18. §. 11. legi potest. Caeterum seruitiis militaribus non male annumeratur forte *Expedi-  
 Romana*, cum hocce officium Imperatori non solummodo splendoris & pompae, sed etiam periculorum auertendorum causa praestetur. 2. f. 45. SCHILTERVS in *I. F. A. c. 8.* Aliquando insuper aestimationem quoque recipiunt seruitia militaria, quae tamen res consuetudini innititur. Sic aestimatur in *Regno Siciliae 20.* vnicuius quilibet armatus, in *disricu Gedemontano 4.* pro Centenario. CACHERANVS *Consil. 27. n. 31.* in Germania variat pretium, nach *Anschlag der Güther. Joh. KOPP. qu. 44. n. 12. seqq.* & loco oneris seruitiorum pretio detrahi solent alicubi 1000. floreni, alibi 1000. Imperiales vor ein ganzes Ritter-Pferd.

§. XIII.

Praestantur vero a Vasallo seruitia militaria, vel vo-  
 cato, vel sponte. Regulariter quidem, ea non praestat da a Va-  
 Vasallus, nisi vocatus, quia a Domino requirendus & sallo vel  
 interpellandus. 2. F. 28. §. ad hoc. cum seruitium feudale vocato  
 certo tempore non distinctum; sed ex usu tandem, & ex vel sponte.  
 indigentia Domini accipiat determinationem, de quo  
 non constat Vasallo. ROSENTHAL. c. 8. *Concl. 26.*

F SCHRA-

EXERCITATIO VII.

SCHRADER. P. VI. n. 38. Imo etiam, si sciat Vasallus, seruitiis Dominum indigere, ne tunc quidem ad vltro-neam oblationem praestationemque seruitiorum teneatur, cum in Domini sit potestate, an velit, seruitiis, vti an non; hac tamen limitatione subintellecta: nisi magnum Domino immineat periculum, & in aprico quasi sit, ipsum alias periclitaturum, 2. ff. 37. §. f. Andr. KOHL. in Tr. de Seruit. feudal. P. 7. n. 5. SCHNOBEL *Disp. feud.* 8. Th. 15. vbi vltro offerenda praestandaque sunt seruitia 2. f. 26. §. licet. Regulariter quoque ipse Vasallus seruire debet, eiusque praesentiam Dominus exigere potest 2. f. 23. in f. nisi ex voluntate Domini, inhabili feudum concedentis, vel ob iustam causam, aetatem, infirmitatem, dignitatem vel conditionem obstantem excusetur, vbi Domino aliam personam acceptabilem mittere iubetur, 2. f. 55. §. firmiter. quod ex boni viri arbitrio diiudicandum esse, non frustra autumat ANTON. *Disp.* 7. th. 5. lit. b.

## §. XIV.

*Præstat*  
*contra o-*  
*mnes, ex-*  
*cepto Im-*  
*peratore*  
*& Domi-*  
*no anti-*  
*quiori.*

Praestanda sunt seruitia contra omnes, excepto Imperatore 2. f. 7. 2. f. 55. nisi tamen Imperator Dominum immerentem iniuste offendat; *Art.* 15. *Capitulat. Leopold.* & *art.* 14. *Ioseph.* vt & Domino antiquiore, 2. f. 28. §. f. nec non Domino, quem reueretur vt supremum. Hinc, si Vasallus diuersis Dominis obstrictus, oritur quaestio: cui, bello inter hos moto, seruitia sint praestanda? Et communiter distinguitur a feudistis, inter Dominos ligios & non ligios, vti videre est apud CARPZ.

in *Disp. feud. II. Th. 25.* qui tradit, neminem proprie posse simul esse Vasallum duorum Ligium, ne quidem ex post facto. Interim concurrente vero Domino mediato & immediato, Vasallus huic regulariter subuenire tenetur, vi textus 2. f. 8. quia immediatus verus Dominus censetur. *Jacobin. de S. GEORG. investitur. feud. verb. & promiserunt, n. 12. vers. decimo, quaero cc. f.* De Vasallo autem duorum non ligio, tres opiniones refert PISO. *Praelud. feud. c. 13. n. 11.* quarum verissima, quod priori contra posteriorem militare sit licitum. Antiquior enim Dominus in iuramento fidelitatis posteriori praestitae, semper exceptus intelligitur, *d. textu 2. f. 23. SCHRAD. P. 6. c. 6. n. 29. v. secundo*, imo non tantum licitum esse, sed & teneri videtur; *KOHL. P. III. n. 18.* non vero posteriori contra priorem, ne per substitutum quidem. *SCHRADER. L. c. & DN. MENCKEN in Controu. select. Jur. feud. Disp. III. Th. 9.* De Jure autem germanico, si Vasallus plures habeat Dominos, qui ab ipso exigunt seruitia, primo denunciante seruitia praestare tenetur, reliquis vero subsidiis succurrere obstringitur, v. g. hostentitii, siue decima parte annuorum prouentuum feudaliū, &c. vid. *SCHILTERVS ad J. F. A. c. 8. §. 16. ZOBEL P. III. Different. 24. n. 9. f. 571.*

## §. XV.

Contra se ipsum dimicantem Dominum non iurare teneri Vasallum, omnes plane Feudistae consentiunt, in omnibus enim pactis & conventionibus, loquentis persona in iure excipitur. *Thom. CRAIGIUS L. II. c. II. §. 8.* Plus controuersiae habet, *Non vero contra se ipsum, Patentes & uxorem.*

bet, an filius contra patrem suum, Domino quoque auxilium ferre debeat? quod 2. f. 28. §. f. affirmatur, & omni cum iure affirmandum, si pater aliquid contra Rempubicam moliatur, a. L. 35. ff. de Relig. alias autem non obligatur, ad stare Domino, aduersus proprios parentes, liberosque suos. CUIAC. ad all. Text. 2. f. 28. v. si liberi. Obligatio enim vasallitica contra Ius naturale non recipit interpretationem. CARPZ. Disp. feud. c. 8. §. 14. neque contra vxorem propriam a L. minime ff. de Relig. & sumt. fun. INTRIGL. qu. feud. 58. n. 9. & qu. 93. n. 112. nec mouet nos in contrarium sententia STRVVI maxime dissentientis in Syntagma. J. F. c. 11. Aph. 8. n. 1. & ROSENTHALII c. 8. Concl. 14. n. 7. in notis ingentem dissentientium numerum allegantis; qui obiiciunt, quod operam possit praestare per substitutum, 2. f. 26. §. si quis decesserit. vel dimidium vnus anni redditum, soluere de feudo, 2. f. 55. §. firmiter. neque enim, tam crude haec, sed ciuilitate intelligenda sunt, ne per ius Ciuile naturale Ius laedatur. Macb. a SUDETIS Disp. feud. Vl. Tb. 19.

## §. XVI.

praestanda stipendiis Domini.

Circa modum seruitiorum praestandorum, cuius sumptibus fieri debeant Doctores non conueniunt. Si quid expresse de eo conuentum, illud sancte custodiendum, VVLTEI. c. 10. n. 34. alias regulariter dicendum, quod Vasallus suis stipendiis seruitium praestare teneatur, non obstante 2. f. 107. qui Textus est extraordinarius, quia feudum ad hoc ei datum, vt Domino seruitia praest-

praestet, 2. f. 23. §. ult. 2. f. 55. §. firmiter. ZASIUS P. 7. n. 44. SONSBECK. P. II. n. 43. WESENBECK. c. 9. n. 13. modo hoc feudi commoditates, facultatesque Vasalli permittant. VASQUIUS L. I. *Controvers. illustr. c. 6.* Si enim fructus feudi ad seruitiorum sumptus non sufficiant, Dominus eos suppeditare tenetur, etiam si Vasallus aliunde bona habeat; quod & procedit, si Dominus extra patriam, aut territorium suum bellum gerat, vt Vasallus Domini sumptibus militet BLANC. L. II. c. 1. n. 31. SCHRAD. P. 6. c. 6. n. 15. In Anglia traditur esse moris, vt Vasallus suis sumptibus, & sine stipendio seruiat, nimirum per 40. dies, & in finem huncce proclamationes emanare: vt quilibet ad Tutelam & defensionem Regni cum Viatico 40. dierum ad locum praescriptum veniat. Thom. CRAGIUS, L. II. c. 11. §. 8. Quid Jure Saxonico sancitum sit, legitur expressum, in S. L. R. c. 1. verb. wenn ein Pferd. ubi 6. Wochen muß ein Vasall dem Domino von dem seinigen dienen / weiter aber nicht. cum eodem coincidit J. F. Alem. c. 6. Plures consuetudines locales, qui revidere cupit, consulat SONSBECK. P. II. n. 43. Sed haec ita intelligenda: vt Vasallus, se ipsum suosque suis sumptibus armis & equis instruere debeat; quibus in rebus, si damnum accipiat Vasallus, secundum communem Doctorum opinionem, Dominus illud resarcire non tenetur, 2. f. 7. §. 25. SCHILTERVS ad J. F. A. c. 9. §. 4. KOHL. P. 7. n. 27. quod suam recipit non iniuria limitationem, si forte commutata sint seruitia in pecuniam, quae pecunia, non nisi improprie audit, Praesent Gelder/de qua conf. DEC. ELECT. SAX. 32. & haec praestatio pecuniae loco dicitur ADOHA, siue adaeratio

*Matt. de AFFLICT. Dec. 252. n. 3. Illustr. COCCHEII Disput. de Adoba.*

## §. XVII.

*Seruitia  
cessant r.  
ratione  
Vasalli.*

Cessant tamen seruitia, vel ex persona Vasalli aut Domini, vel ob aliud iustum impedimentum, & quidem ratione I.) Vasalli, ista quiescunt, vel simpliciter in feudo franco, ZASIVS P. ult. n. 36. SCHRAD. P. II. c. 2. n. 36. quod Liberum ab omni onere & seruitio, 2. f. 23. § 104. germanice: ein Frey & Lehn / CLARVS §. feudum qu. 12. VVLTEI. c. 8. n. 50. huius enim Vasallus ad seruitia personalia non obstringitur, BORCHOLT. c. 7. Membr. 2. n. 68. etiamsi ad officia fidelitatis non minus, quam coeteri obligetur, ROSA. c. 2. qu. 59. aut, quod pariter dicendum, si Dominus eum ex pacto ab omni seruitio liberet. SCHRAD. P. 6. c. 6. n. 37. ALEX. L. 1. Conf. 30. n. 20. Vel secundum quid cessant seruitia in iis, qui per substitutum seruiunt, vt Pupillis, qui nonnullis adeo immunes a seruitiis videntur, vt nec per substitutum ad seruitia cogi mereantur, per c. si quis asseret 2. f. 26. vel etiam senibus septuaginta annorum; SCHNEIDEW. d. L. a. item morbo fontico laborantibus ANTON. Disp. feud. 7. Tb. 7. aut alia corporis infirmitate; L. pen. de Vacat. § excusat. per Substitutum tamen seruiunt, Quo respicit, clausula litteris vocatoriis inserta: Im Fall ihr aber durch Leibes Ungelegenheit nicht erscheinen köntet. imo & illi, qui singulari aliquo morbo non impediuntur, sed ob alium defectum, seruitia in persona praestare non possunt, vt: muti, surdi, claudi, & similes imperfecti,  
per



per substitutum seruitia sua expediunt, aut requisiti dimidiam partem reddituum istius anni praestant. 2. f. 55. §. firmiter. MOZZ. de accidental. feud. n. 112. SCHRAD. d. L. n. 42. Allegatus tamen textus, ubi praestatione dimidiae partis fructuum a seruitiis liberatur Vasallus, accipiendus, si Domino libuerit; quia non fructuum, sed seruitiorum intuitu feudum concessum, & vnum pro altero Domino inuito non soluitur. L. 2. §. 1. ff. si certum petatur. 2. f. 40. §. 4. & 55. KOHL. P. 7. n. 43.

§. XVIII.

Cessant 2. ratione Domini, si ille est vel excommunicatus, scilicet ex communicatione maiori, c. penult. ne Domini. & vlt. qu. 6. XV. ANTON. Disp. 7. Th. 8. vel bannitus, 2. f. 28. quo liberatur ab obligatione Vasallus, imo nec volens ad seruitia admittendus, cum omnium iurium incapax declaratus sit Dominus; c. 5. d. Poen. in 6. GAIL. Lib. II. de Pace Publica c. 15. Ordnung des Land- & Friedens rubr. die Poen der Friedbrecher / vel haereticus factus. DD. per c. 13. X. de Haeretic. Licet enim fides haeretico vt haeretico data seruanda, fidelitas tamen seruari non debet, si vera sunt, quae tradit, REINKING de Regimine secul. & Eccl. L. II. c. 2. D. 2. n. 25. KOHL. P. II. n. 81. & 83. Quinam vero in Imperio pro haereticis habendi, ostendit MEYERS, Argent. pecul. Differ. & LVDOVICVS de monte sperato ad Bullam Innocenti X.

§. XIX.

Ob legitimum impedimentum, seu ob quamlibet

3. ob ali-libet causam iustam 3. non praestantur seruitia. 2. f. 55. s. 1. ud legiti-firmiter. SCHRADER. P. 6. c. 6. n. 36. Sic Vasallus ad seruitium non obligatus, si ipsi illud aut natura aut lege interdicitum, factumque laedat pietatem, honestatem & existimationem, ROSENTHAL. c. 8. Concl. 9. n. 7. vel facto impossibilis deprehendatur promissio, BLANC. L. II. c. 1. n. 107. HANNET. L. III. feudal. c. 9. nisi ista impossibilitas ex dolo aut culpa ipsius suborta, vel omnino affectata fuerit. CVRT. Jun. in Tr. feud. P. 4. n. 61. caus. 28. Sic excusatur, cum alius sine culpa & voluntate Vasalli feudum occupat & possidet. ROLAND a VALLE Consil. 18. n. 17. Vol. 1. Seruitia enim praestantur propter rem. BLANC. d. L. n. 75. Si plures de Domino litigent, illi seruiendum, qui possidet, neutro vero possidente litis euentus expectandus. STRVV. L. c. Aph. 7. n. 5.

## §. XX.

Vasallus  
obligatur  
III. ad Ad-  
iutorium.

Domino directo III. ad Adiutorium obligatur Vasallus; nam & consilio & auxilio eum iuuare debet, 2. f. 28. 2. f. 7. vers. & si vero. quod adiutorium Domino praebere debet Vasallus, non solummodo ad res eius iuste quaesitas retinendas, iniuste amissas legitimo modo recuperandas, sed & ad res iuste acquirendas. SCHNEIDEW. in Epit. feudal. V. V. n. 94. Minime tamen tenetur aes alienum Domini directi exsoluere, etiamsi debitoribus sit oppressus, ob debitaque incarceratus, 2. f. 24. quia nec filius qua talis aes alienum patris soluere cogitur, L. 5. §. 16. ff. de Liber. agnos. SCHNOBEL. Disp. feudal. 8. Th. 5. ANTON. Disp. 7. Th. 9. L. f. licet eum ab hostibus

stibus captum & iniuste inclusum liberare in subsidium adstringi videatur. VASQV. 1. Consult. c. 6. n. 6.

§. XXI.

Controuertitur autem inter feudistas : an Vasallus *An Domi-*  
 Dominum in casum inopiae alere teneatur? quod com- *num ege-*  
 muniter negatur, quia alimentorum suppeditatio sub *num alere*  
 seruitiis praestandis non comprehenditur. ROSENTHAL. *teneatur.*  
*c. 8. Concl. 23. n. 19. ibique allegati Dd. ZOESIVS in materia feu-*  
*dali P. 7. n. 48. vbi alimenta praestare, scribit, qui succes-*  
*sionem Domini directi sperat. Contrarium tamen ve-*  
*rius esse mihi videtur, RITTERSHVS. L. II. c. 1. qu. 40.*  
 modo ista alimenta alias seruitiis praestandis responde-  
 ant & loco istorum praestentur. 2. f. 26. §. Licet. Non  
 vero ex suo patrimonio, sed ex feudo, vsque ad dimi-  
 diam fructuum vnus anni a. 2. f. 55. §. firmiter. eo adi-  
 gendus erit. Vasallus enim incolumen Dominum  
 quoad corpus praestare, 2. f. 6. pr. ergo & a fame  
 liberare debet, exemplo liberti, qui Patronum alere  
 tenetur, L. 5. §. 8. de agnos. & alend. Lib. atque ita  
 de feudo Franco quoque sentiunt. MOLIN. in  
 Consuet. Paris. §. 30. n. 145. HORN. in Disp. de Feudo Franco  
 Tb. 21.

§. XXII.

Ad effectum feudi ratione Vasalli referri quoque  
 potest, quod respectu illius gaudeat aliqua immunitate, *Non ad*  
 COTHMANN. Vol. 1. Resp. 11. n. 32. MYNSING. 4. Obs. 70. *tributa*  
 G Vasallus *obligatur*  
*Vasallus.*

EXERCITATIO VII.

Vasallus enim vt Vasallus, ad alia tributa quam ea, quae in locum consuetorum seruitiorum succedunt, non tenetur. HEIG. *L. II. qu. 18.* CARPZ. *L. IV. Resp. 70.* nisi consuetudine vel praescriptione aliud sit introductum, CARPZ. *d. L. n. 21. 22.* STRVV. *c. 11. Aph. 5. n. 16.* vel casus summae extremaeque necessitatis aliud velit. CARPZ. *d. L. Resp. 71.* Rationem communiter afferunt Feudistae: quod per se iurisdictionem non operetur Vasallagium, HEIG. *i. qu. 18. n. 17.* quae tamen ad collectarum impositionem exigitur, KLOCK. *de Contribut. C. 14. Sect. 2. n. 4.* (hinc ea ratio cessat, si Vasallus simul est subditus. TITII *Teutsch. R. c. 6. §. 22.*) & quod Vasallus fructuum nomine praestet seruitia, adeoque Domino ad collectas non obligetur, MEV. *P. 4. Dec. 33.* CARPZ. *P. III. C. 28. D. 19.* BRVNNEM. *Consil. 17. n. 36.* ne duplici onere gravetur. CARPZ. *P. V. C. 38.* Docemur de Belgio, seruitia militaria Carolum V. Imperatorem Edicto perpetuo 1518. in vniuersum remississe, ea tamen conditione, vt fundi clientelares imposterum non secus ac patrimoniales obnoxii essent oneribus publicis, a NEOSTADIO *de feudis Holland. Success. c. 1. n. 18.* haec tamen immunitas suum non inuenit locum, quando nulla praestantur seruitia, quorum intuitu feudum concessum, cessante enim priuilegio, cessat quoque eius effectus. TORNQV. *de feudis Mecklenburg. C. 2. Sect. 4. §. 19.*

## §. XXIII.

Quae  
Collectae

Quibus de collectis vero haecce immunitas intelligenda sit, ex diuersa collectarum indole diiudicandum est,

est, CARPZ. *Lib. IV. Ref. 71.* BRVNEM. *Conf. 6. n. 24.* Sic *hic sub-*  
*non liberantur bona feudalia von der Vermögen: Steuer/ telligen-*  
*licet alias vi priuilegii a contributionibus immunia sint, dae.*  
 adeoque emtori regressus contra venditorem denegan-  
 dus, sic respondit *F. I. Lips. Mense Octobri 1705.* In Saxonia  
 possessores feudorum non raro praestant ein Praesent-  
 Geld / quae praestatio non a Vasalli defuncti Successori-  
 bus feudi, sed haeredibus allodialibus exsoluenda est.  
*Dec. Elect. Elect. 32.* CARPZ. *P. II. 46. D. 35.* Quae etiam ex  
 causa die *Steuer-Nesse* non referuntur ad debita feudalia,  
 sed haereditaria, vt pronunciatum a *F. I. Lips. Mense Aprili*  
*1702.*

§. XXIV.

Huc quoque pertinet die *Fräulein: Steuer / ad quam Dos non*  
 contribuunt Vasalli, mediante praesentata pecunia, mit *nisi in sub-*  
 ihrem Antheil der praesent Gelder. LYNCK. *in Analect. f. fidium sol-*  
*F. c. 11. Aph. 5. n. 16.* quamuis in dubio dos ex feudo filia- *uitur ex*  
 bus non nisi in subsidium debeatur, nisi contraria con- *feudo.*  
 fuetudo adsit. FINCKELTH. *obiect. 21. n. 13. seq.* CARPZ.  
*de Oneribus Vasall. feud. Dec. 3. posit. 4.* STRVV. *de feud.*  
*haeredit. Obs. 45.* De Electoratu Brandenburgico vid. SCHE-  
 PLITZ. *Consuet. Brandenburg. P. III. f. 3. §. 9. Job. BRVN-*  
*NEM. C. 65. n. 42. de Saxonia testatur CARPZ. Conf.*  
*46. D. 16. n. 5. 6. ibique Dd. allegati.*



In nomine domini Amen. Nos Johannes de Vasellis  
 medicus et Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris. Nos Johannes de Vasellis medicus et Chirurgus  
 in Vasellis salutem in Christo sempiternam omnibus futuris. Nos  
 Johannes de Vasellis medicus et Chirurgus in Vasellis salutem  
 in Christo sempiternam omnibus futuris. Nos Johannes de  
 Vasellis medicus et Chirurgus in Vasellis salutem in Christo  
 sempiternam omnibus futuris. Nos Johannes de Vasellis medicus  
 et Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris. Nos Johannes de Vasellis medicus et  
 Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris. Nos Johannes de Vasellis medicus et  
 Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris.

XIV

Hoc duplex perier de Vasellis (Gunt) ad quem per nos  
 contrahunt Vaselli. medicina prestantur decem. nulli in sub-  
 stantia in Vasellis. Nos Johannes de Vasellis medicus et  
 Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris. Nos Johannes de Vasellis medicus et  
 Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris. Nos Johannes de Vasellis medicus et  
 Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris. Nos Johannes de Vasellis medicus et  
 Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris. Nos Johannes de Vasellis medicus et  
 Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris. Nos Johannes de Vasellis medicus et  
 Chirurgus in Vasellis salutem in Christo sempiternam  
 omnibus futuris.



05 H 424

**ULB Halle**

3

004 315 340







13

EXERCITATIO FEVDALIS  
VII,

DE

RENOVATIONE  
INVESTITURAE

ET

VINCULO OBLIGATIONIS  
QVO DOMINVS ET VASALLVS  
INVICEM CONSTRINGVNTVR

QVAM

PRAESIDE

GODFR. LVDOV. MENCKEN  
D. P. P. COLLEGIORVM IVRIDICORVM  
QVAE VITEBERGAE SVNT, VT ET IVDICII  
PROVINCIAL. IN MARCHIONATV INFERIORIS  
LVSATIAE ASSESSORE

PVBLCICE DEFENDET

AVTOR

ERDMANN HELDT

ZITTAV. LVSAT.

D. IVN. M DCC XIX.

VITEBERGAE

EX OFFICINA VIDVAE GERDESIAE.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

